

L
1384 // 1

IN FELICISSIMO

255-

ILL.^{MI} AC EX.^{MI} DOMINI

SEBASTIANI JOSEPH

DE CARVALHO E MELLO,

EMERITISSIMI MARCHIONIS DE POMBAL

NATALI DIE HÆC CANITUR

ELEGIA.

QUO plausu, Lysia, qua pompa læta valebis
Hunc tam festivum concelebrare diem?
Et mihi quæ subeant tam grandia carmina mentem,
Queis tanti extollam facta canenda viri?
Oh mihi si verba afflaret divinus Apollo,
Aonidumque essent plectra canora lyræ!
Indue nunc, Lysia, festivos indue vultus,
Lætitiæ imo de pectore carpe fonos.
Hæc est illa dies, multos quæ grata per annos
Quærere tu debes, sit numeranda tibi.
Hæc est illa, novis qua prosper fungitur annis
Marchio præcelsus, gloria magna tui.
Unde, velut lymphæ sinuoso a flumine, currunt
(Vix facile est dictu) munera tanta tibi.
Tu felix, tu victrix, tu sub legibus æquis,
Ah miror! spiras inclyta, tuta, potens.
Tu jam non exstas, velut antea,mersa tenebris;
Lumine sed Solis splendidiore micas.
In te non recubant tristes sine laude camœnæ,
Docta sed ingenuis artibus ipsa viges.

Mu.

24

1249352

Munera tu tandem tot in uno Heroe recensēs,
Quot multis numquam regna priora viris.
Istius annos si breviter numerare valemus,
Quis bene virtutes tot celebrare potest?
Hac omnes cernunt curvari mole columnas,
Quas famæ celsas erigit ipse suæ.
Eloquar, an fileam, cum partibus undique totis
Cernimus attoniti lucida facta sua?
Ah tanto ne credas carmina nostra tumere
Syrmate ventoso! territus ora premam.
Tot bona tu, Lysia, manifeste grata fateris,
Idcirco nequeo byssina verba loqui.
Nunc igitur supplex, palmas ad sidera tollens,
Fortiter hac tantum voce precare Deum:
Longa sit ista dies, Pylio productior ævo,
Tuque hoc vel vultu prosperiore nite.

A Joanne Xavier da Costa Cardoso.